





1785, 25.
7

DISSERTATIO
IVRIS CRIMINALIS
DE

LVRICO INDICIORVM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

AVCTORITATE

P R A E S I D E

IOS. LVD. ERN. PÜTTMANN

I. V. D. INST. PROF. ORD. ET COLLEG. ICTOR. ASSESSORE
VT ADITVM

AD

SVMMOS VTRIVSQVE IVRIS HONORES

SIBI APERIRET

A. D. XXXI. MARTII MDCCLXXXV

H. L. Q. C.

AD DISCEPTANDVM PROPOSITA


A

CHRISTIANO GOTTLOB STARCKE

ADV. SAX. IMMATR

P 429

LIPSIAE
EX OFFICINA SOMMERI



DISSERTATIO

IVRIS CRIMINALIS

DE

LVRBICO INDICIORVM

ILLVSTRE SIGNVMD OROBVS

AVCTORITATE

AV AVCTORITATE

IOH. EVD. ERN. PVLTMANNNO

AV AVCTORITATE

AV AVCTORITATE

AV AVCTORITATE

AV AVCTORITATE

AV AVCTORITATE


AV AVCTORITATE

AV AVCTORITATE

AV AVCTORITATE

CHRISTIANO GOTTLIF. STAECKE

AV AVCTORITATE



DE OFFICINA SOMMERII



DISSERTATIO
IVRIS CRIMINALIS
DE
LVBRICO INDICIORVM.

10. SARESBERIENSIS in *Policrat. Libro III. prolog.*
Non satis homo est, quem aliena non mouent.

Magnopere quidem interest reip. scelera flagitiaque haud manere impunita, propterea quod nec domus, nec ciuitas stare potest, si in ea nec recte factis praemia extent vlla, nec supplicia peccatis; contraria autem ex parte non minus refert, secure in ciuitate viuere licere innocentibus, neminique iniuria dicam impingi, aut crimina, quibus se haud alligauit, improbari. Bene AMM. MARCELLIN. *Lib. 30. cap. 4. Cum recte procedunt iudicia, delubra sunt aequitatis; cum deprauantur, foucae fallaces et caecae.* Etsi iurisprudencia criminalis nostris temporibus multas magnasque passa est mutationes, et iam quodammodo laetior, quam superiore fuit aeuo, effloruit, nihilominus tamen adhuc passim audiuntur exempla homicidiorum iudicialium, i. e. publica auctoritate contra ius fasque admissorum, quae quidem aut inscitiae, aut malitiae iudicum prauisque eorum affectibus accepta ferenda sunt. Verissime QVINTILIANVS VI. 2. *Cum irasci, fauere, odisse, misereri iudices coeperint, agi iam rem suam existimant, et sicut amantes de forma iudicare non possunt, quia sensum oculorum premit amor, ita omnem inquirendae veritatis rationem iudex amittit occupatus affectibus: aestu fertur, et velut rapido flumini obsequitur.*

A 2

Prae-

Praecipuus certe fons, vnde eiusmodi iniustitiae promanant, est imperitia eorum, ad quos disceptatio rerum capitalium pertinet, quique de qualitate indiciorum aëquo Ioue iudicare haud didicerunt, itaque dubia saepe pro certis, falsa pro veris imprudenter accipiunt, haud cogitantes, quod iam PHAEDRVS *IV. 1.* monuit:

*Non semper ea sunt, quae videntur; decipit
Frons prima multos; rara mens intelligit,
Quod interiore condidit cura angulo.*

Si verum est, quod SENECA ait, errare non vitium esse, sed naturam a), si addimus multorum iudicium praecipitantiam, quorundam etiam vinolentiam ac somnolentiam, aliorum autem odium, iracundiam, lucri cupiditatem, pluresque, mentis aciem qui praestringunt, affectus, nihil profecto mirum, si passim videamus iniustas ferri sententias, fulminaque temeraria in eos torqueri,

Qui poenam culpa non meruere pati.

Haec quidem animo mecum reputans facile in spem venio, laborem me haud omnino inutilem suscepturum esse, si oblata hac feribendi occasione de lubricitate indiciorum nonnulla in medium proferam b) aliisque auctor sim, vt cautius accuratiusque
in

a) Quodsi rebus tantum certis assensum praeberemus, in dubiis contra nostrum cohiberemus iudicium, sane nunquam in errores incidereamus; cumque hoc vitium facere possemus, recte dicitur, *in nostra potestate esse, nunquam errare.* (AMAD. DE LA RIVE *Logica* p. 151.) Cum autem haud raro nostrum praecipitemus iudicium, falsa pro veris, incerta pro certis accipiamus, haud mirum, quod toties errorum praeda simus.

b) Dixit fortasse hac de re aliquid LIV. DRYSVS *von der Behusfämkeit des Richters in peinlichen Beschuldigungen.* 1766. Cum autem hoc scriptum nunquam viderim, de eo iudicare haud possum.

in rerum capitalium quaestionibus versentur, sibi que etiam di-
ctum putent, quod apud TERENCEM legitur:

*Inspicere, tanquam in speculum, in vitas omnium
Iubeo, atque ex aliis sumere exemplum sibi.*

Primum autem omnes de rebus capitalibus iudicantes moneo,
ut semper ante oculos habeant aurea illa verba CIC. pro Cluent.
cap. 2. *A vobis iudices haec postulo: primum id, quod aequissimum
est, ut ne quid huc praedudicari afferatis. Etenim non modo auctorita-
tem, sed etiam nomen iudicium amittemus, nisi hic ex ipsis causis iudi-
cabimus, ac si ad causas iudicia iam facta domo deferemus. Deinde,
si quam opinionem iam vestris mentibus comprehendistis, si eam ratio
conuelleret, si veritas extorqueret, ne repugnetis, eamque animis vestris
aut libentibus aut aequis remittatis, itemque illud SENECAE de Ben.
IV. 38. Non est leuitas a cognito et damnato errore discedere, et in-
genue fatendum est, aliud putavi, deceptus sum: haec vero superbae
stultitiae perseverantia est, quod semel dixi, qualecunque est, fixum
ratumque sit.*

Quod ad rem ipsam attinet, etsi necessarium haud putamus, ea,
quae de iudiciis eorumque differentiis iam alibi (in Praefidis *Elem.
iur. crim. Lib. II. cap. 9. et 17.*) dicta sunt, hic repetere, cram-
benque recoctam apponere, maxime cum in praesenti de lubri-
citate tantum indiciorum dicere constituerimus, iuuabit tamen,
ni fallimur, pauca in hanc rem praemoneri.

Indicia scilicet (quae CICERONI etiam *vestigia, notae scelerum*
dicuntur) Ictis sunt circumstantiae, cum crimine eiusque aucto-
re nondum probato verisimiliter connexae, (BOEHMER. ad
Carpz. Quaest. 120. Obs. I.) in quibus aestimandis maxime opus
est regulis, quas dialectici dare solent, aestimandae probabilita-
tis. Quemadmodum scilicet haec illis est conuenientia sensio-
num et hypotheseos, ita in causis criminalibus ponitur, accu-
satum facinus, de quo quaeritur, admisisse, sensationesque cum
hac hypothesi congruentes vocantur indicia. Quo arctior igitur
has res intercedere videtur nexus, eo grauius sit indicium,

neceſſe eſt. Quilibet autem per ſe facile intelligit, vt res quaedam aut factum aliquod pro indicio reapse haberi poſſit, opus eſſe, vt de eius veritate ſ. certitudine ſatis conſtet, adeoque iudicem ante omnia de eius probatione debere eſſe ſollicitum. *CCC. art. 23. et Praeſidis Elem. iur. crim. §. 881. ſq.*

Poſſe hominem etiam innocentiffimum in tantas incidere ſuſpiciones, vt omnes fere iurent, illum crimine, de cuius auctore quaeritur, ſe alligaſſe, tot teſtantur exempla, vt nullus dubitandi locus ſuperſit c). Quid? quod cum noſtris, tum ſuperioribus temporibus ſaeppiſſime factum eſt, vt non modo tormentis ſubiicerentur, ſed morte etiam plecterentur, quorum innocentia paullo poſt luce clarius meridiana apparuit. Quodſi in cauſas huiuſmodi infortuniorum inquiramus, tres potiſſimum mihi deprehendiſſe videor, ſcilicet 1) prauorum hominum, alienae fortunae aut vitae adeo inſidiantium, malitiam, 2) fortunae iniuriam, cui tamen plerumque culpa aliqua (eſſi forte leviſſima) eius, qui in eiusmodi caſum incidit, coniuncta eſt, 3) facta inconſulta atque inconsiderata eorum, qui nihil timent, nimisque ſecuri fortunae latus praebent. Vniuſcuſque harum cauſarum narraſſe exemplum, eo praecipue fine, vt inde ſimul intelligatur, qua in re iudices labi atque offendere ſoleant.

In Gallia aliquot abhinc annis accidit, vt herus aliquis ancillae formosae amore captus, poſtquam eius pudicitiae crebras ſtraxerat inſidias, ab ea repulſam ferret, nullaque ratione voti ſui compos fieri poſſet; qua re ille tanto incenſus eſt odio, vt ancillam non modo dimitteret, ſed acceptam etiam (ſua opinione) iniuriam vlciſei apud animum conſtitueret. Mox igitur furti illam inſimulat, vtque res eius perueſtigentur, poſtulat; et ecce inueniuntur apud iſtam mulierem res ad priſtinum illius

c) Saepe ſcilicet fit, quod c. c. ait pro Roſc. Amer. cap. 20. Innocens eſt quiſpiam, verumtamen, quamquam abeſt a culpa, ſuſpicioſe tamen non caret.

illius dominum pertinentes, quarum dominium hic iureiurando adseuerat. Cum sic nullum de furto superesse videretur dubium, misera mulier ad laqueum damnatur et suspenditur, corpus autem, postquam per tempus lege definitum pependerit, cognatis traditur. Hi cum signa quaedam vitae in eo deprehenderent, omnem mouent lapidem, vt miseram illam refocillent, neque frustra ea in re laborant, sed tandem voti sui damnati sunt. Mulier in vitam quasi reuocata denuo innocentiam suam multis verbis adseuerat, eoque tandem misericordiam iudicum mouet. Causa denuo cognita apparet, ipsum herum inhumanum vlciscendae repulsae causa res, quas furto sibi ablatas esse dicebat, rebus ancillae insciae nihilque tale opinantis immiscuisse, itaque causam poenae capitalis mulieri irrogatae fuisse; quo facto monstrum illud hominis capitis quidem damnatur, infelix autem mulier mortis doloribus maxime consternata mentisque deliquium passa ergastulo includitur, vbi, dum vixit, saepius flexis genibus passisque manibus, haec verba: *Professo, iudices, furtum haud admisi, sed innocens sum*, repetiit. Quis quaeso tam durus ac ferreus est, quin haec legens fortis misereatur humanae, crimenque illud laesae, vt ita dicam, humanitatis maxime detestetur? Qua in re autem hic lapsi sunt iudices? Haud scilicet cogitarunt, fieri potuisse, vt heri res etiam absque furto rebus ancillae immiscerentur, adeoque deesse certitudinem s. veritatem furti, quam corpus delicti vocare solemus.

Alterum exemplum, cuius memoria ex Anglia ad nos peruenit, antiquius quidem, sed maxime memorabile est. Pater quidam, filiam habens vnicam et aetate adhuc minorem, testamento eam heredem instituit, illique, si coelebs decesserit, fratrem suum substituit. Mortuo patre filiae patruus (reluctantibus licet cognatis) eam domum ad se hospitio recipit, ipseque educat. Interiecto aliquo tempore virgo, adolescentis cuiusdam amore capta, huic, etsi haud diuiti, nubere constituit. Patruus omnem adhibet operam, vt amorem illum ex animo nepotis suae eiiciat, eamque a nuptiis cum homine pauperculo in-

eun-

eundis desleat. Postquam die aliquo aestiuo vna cum illa in siluam aliquam ambulatum iuerat, vespere solus reuertitur, virgoque nullibi apparet. Mox eius cognati patrum caedis postulant, testes aliquot producant, quorum vnus, se eodem die in silua illa aliquoties haec verba: *noli me occidere, mi patruae*, alter autem, se eodem fere tempore ac loco fragorem sclopeti explosi audiuisse, iureiurando adfirmat. Sufficere haec videbantur ad condemnandum patrum, qui nihil aliud dicere poterat, quam se innocentem esse, suamque neptem in via, necessitatem breuis absentiae simulantem, subito euauisse, diuque ac multum, sed frustra, a se quaesitam fuisse. Quid multa? Morte multatur patruus, grauissimis reapse iudiciis oneratus. Vix decem praeterlapsis diebus neptis eius salua atque incolumis reuertitur, interrogataque, quid ipsi acciderit, sponte narrat, vera esse, quae testes adfirmauerant, omnia, se autem verba illa: *noli me occidere, patruae*, non mortis timore, sed ideo dixisse, quod patruus ipsi amorem suum, non nisi morte delendum, ex animo euellere tentauisset; fragorem sclopeti ab homine ignoto, feram columbam occidente, profectum esse; se autem, relicto patruo, ad locum ab amatore suo constitutum properasse, ibique maxima laetitia exceptam nuptias cum illo contraxisse, et nunc demum (voti sui compotem) reducem factam esse. Hic certe nulla patrum culpa erat, sed omne infortunium partim leuitati neptis eius, partim inscitiae iudicum, qui, etsi de caede nulla ratione constabat, adeoque certitudo delicti plane deficiebat, nihilominus reum solis de suspicionibus capitis damnabant, tribuendum est.

Tertium denique exemplum nostra memoria (viginti circiter abhinc annis) in hac ipsa vrbe contigit. Legatus scilicet Gallicus L. B. de Z — ad celebre huius vrbs diuersorium vna cum comitatu suo diuertit, et ab hospite lubentissime recipitur; hic autem, cum Legatus se proximo die summo mane iter continuaturum esse, ideoque velle, vt res suae noctu in carpento manerent, diceret, mediastino suo custodiam imperat. Media-

stinus

nus illi se non modo accingit, sed maximam etiam noctis partem vigilando tranfgit. Tandem mane, urgente frigore, cubitum it, fomnoque opprimitur. Interposita circiter hora euigilat, furgensque eheu! non modo carpentum profus inane, vasaque omnia ipfo dormiente inde ablata esse intelligit, sed fures etiam in cubiculum Legati penetrasse, eique fere omnia abstulisse resciscit. Quidquid autem miser sui defendendi causa diceret, omnis in ipsum, vtpote cui custodia mandata fuerat, suspicio recidit. Quid multa? Quaestioni, itemque tormentis subiicitur, quibus superatis a causa quidem (solutis sportulis) absolvitur, hoc ipfo tamen infortunio ad incitas redigitur; et nihilominus plerique in ea manebant persuasione, mediaftinum ipsum furtum, de quo quaerebatur, admisisse. Enimuero praeterlapso vix anno litterae a magistratu Berolinensi ad Lipsiensem veniunt, quibus huic significatur, fures aliquot apprehensos carcerique mancipatos esse, qui inter alia crimina furtum etiam Lipsiae in rebus Legati Gallici perpetratum sponte confessi, simulque sortem infelicis illius mediaftini, a furto plane immunis, miserati essent. En lubricitatem indiciorum! En ludibria iniuriasque fortunae! Nihilominus autem iste mediaftinus, etsi furti neutiquam reus, sua tamen ipsius culpa omne hoc infortunium sibi ipse contraxerat, adeo vt nihil plane iudicibus imputari posset. Qui enim alicubi custodiam in se suscipit, et tamen lectum petens obdormiscit, nae ille culpa haud vacat, incommodaque omnia inde prouenientia suo quasi equo sibi aduehit. Ceterum Legatus furtum passus contra hospitem quidem actionem de receptis instituebat, mox autem magno animo ei rursus renunciabat.

Sufficient, spero, haec exempla ad ostendendum id, quod de lubricitate indiciorum supra diximus. Plura qui legere volet, is PITAVALLIVM, I. C. DE LA VILLE, RICHERVM, ARNAVDIVM, EISENHARTVM aliosque singularem causarum collectores adeat d). Exemplum prae ceteris

d) Conf. etiam *Reflexions philosophiques sur l'origine de la civilisation* et sur les moyens de remédier à quelques uns des abus, qu'elle entraîne, B (par

ris memorabile Praeses in libro, *die Referir- und Decretir-Kunst* inscripto, pag. 187. retulit.

Etsi autem, sublatis nunc maxima Germaniae parte tormentis, tristes eiusmodi casus hodie non tam frequentes sunt, quam superioribus fuerunt temporibus, fieri tamen utique potest, ut innocens etiam, quando aut sua, aut aliorum culpa, aut fortunae iniuria graubus premitur iudiciis, ergastulo, dum innocentiam suam probet, mancipetur, et tunc reapse infelicio est, quam si tormentorum partem subiisset, propterea quod tormentorum dolores ultra horae spatium vix durant, inclusio in ergastulo autem plerisque certe hominibus non modo ob libertatis iacturam tristissima est, sed plerumque etiam reis eorumque familiis plurimum incommodi detrimentique contrahit. Quae cum ita sint, maxima sane danda est opera, ne lubricis incertisque decepti iudiciis homines innocentes ergastulo mancipemus, quod multis omnino durius, quam ipsa tormentorum quaestio, videretur. Age igitur, cautiones qualdam in aestimandis iudiciis adhibendas suppeditemus.

Ac primum quidem ipsa sana docet ratio, iudici criminali ab omnibus iudiciis vanis ac superstitiosis sedulo abstinendum esse e), ne cum vulgo sapere videatur, nubemque pro Iunone ample-

(PAR DE LA CROIX) à Amst. 1778. sq. nec non *Plan de législation sur les matieres criminelles*, par M. LE E. à Amst. 1779. et *Délassemens de l'homme sensible, ou anecdotes diverses*, par M. D'ARNAUD, à Paris 1783. sq. it. ANDR. ZAPPERS *Gedanken über einige Punkte des Criminalrechts*, München 1781. *Briefe den berühmigten Hexenhandel zu Glarus betreffend*, Zürich 1783. *Die Rechte der Natur und Menschheit, entweicht durch Menschen*, Berlin 1784. *Die entlarvte Ungerechtigkeit, d. i. Geschichte des unschuldig zum Tode verurtheilten Anr. Jos. Surers zu Appenzell*, 1784. *Die tragische Geschichte des Pfarrers Harzmans*, in *Wekblins Gr. Vngebeuer*, P. I. p. 171. Ceterum veritatem omnium exemplorum, in his scriptis memoratorum, ego adfirmare nec volo, nec possum.

e) Quod etiam praecipiant Impp. in l. 5. C. de malef. et marhem. et Ponti-

amplectens res inanes et fundamento destitutas pro notis indicis. que facinorum habeat. Quis quaeso crederet, sub finem seculi XVIII. (tam sapientis ac philosophi) esse adhuc iudices, qui iure, quod vocant, *cruentationis f*), tanquam medio eruendae veritatis, vtantur? Et ipse tamen paucis abhinc annis, id reapse factum esse, ex actis perspexi, adeo vt iudex in sententia ideo non modo grauitur obiurgaretur, sed etiam, vt in posterum eiusmodi rebus se abstineret, admoneretur. Quis porro crederet, anno adhuc 1783, in Germania iudicium aliquod ad inuestigandum delicti auctorem *cribro transuerso* usum esse? g) Et

B 2

nun

Pontifex in c. 2. X. *de sortileg.* vbi occurrit presbyter per inspecti-
nem *astrolabii* furtum detegere gestiens.

f) Eadem fere res iam apud LVCRETIVM occurrit *Lib. IV. v. 1042.*

Namque omnes plerumque cadunt in vulnus, et illam

Emicat in partem sanguis, unde icimur ictu,

Et si comminus est, hostem vider occupat humor.

Haud abstimilis superstitionis meminit OSSIANVS in *Carm. Conlath.*

et *Cuthona* inscripto, his verbis:

Seine Mutter beschauete seinen Schild an der Wand,

Er war mit Blut befärbt, -----

vbi vide, quae monuit editor *der Gedichte Ossians, (Düsseldorf 1775.)*

P. III. p. 212. Ceterum male ius cruentationis vulgo etiam vocant *ius feretri*, vt nuper ostendit I. C. H. DREYER in *den Miscellanien (Lübeck 1784.)* p. 52. Etenim *70 Baarrechts* (i. e. vt DREYERVS ait, *die Gewohnheit, da man den Todtschläger zu dem Leichnam des geröhteren führet, und von demselben den Blutstuss erwartete*) non a *feretro* (d. Baare), sed a verbo *baaren* i. e. *offenbaren* dicitur.

g) In mentem mihi hic venit *speculi diuinarii*, cuius meminit AEL. SPARTIANVS in *vita Did. Iuliani cap. 7.* Fuit praeterea in Iuliano haec amentia, vt per magos pleraque faceret, quibus putaret vel odium populi deliniri, vel militum arma compesti. Nam et quasdam non conuenientes Romanis sacris hostias immolauerunt, et carmina profana incantauerunt, et ea, quae ad speculum dicunt fieri, in quo pueri praeligatis oculis incantato versice respicere dicuntur, Iulianus fecit. Similiter conuentus lamiarum nocturni iam ap. IO. SARESBERIENSEM (qui seculo XII. vixit) occurrunt in *Policrae. Lib. II. c. 17.* Quale est, quod nocticulum quandam, vel Herodiadem, vel praesidem noctis dominam concilia et conuentus de nocte afferunt conuocare, varia celebrari

COB.

nunciatum tamen est scriptis fide haud indignis, id vere contigisse, Cameramque Imp. grauissimam eam in rem tulisse sententiam, quam (vtpote maxime memorabilem) in fine huius dissertationis cum lectoribus nostris communicabimus.

Eodem, ni fallor, pertinet ars, quam physognomiam vulgo vocant. Quodecunque enim illi statuendum sit pretium, de quo cum veteres, tum recentiores diuerse admodum sentiunt, quilibet sua sponte facile intelligit, eam in causis capitalibus vel ideo nulli vsui esse, quod a iudicibus praesertim inferioribus, vt artem tam lubricam calleant, expectari non potest, ipsi autem rei vna cum actis ad dicaasteria, quae indolem illorum atque naturam in eorum facie legere, aut ex ipsorum habitu colligere possint, transmitti haud solent. Si non semper, certe plerumque verum est, quod *IUVENALIS II. 8.* ait:

Frontis nulla fides, — —

planeque persuasi sumus, plerosque artem illam, eiusque, si diis placet, vtilitatem ideo tantum extollere, vt noui quid dixisse videantur, populoque placeant, quas fecissent, fabulae, h) Ne-

que
conuicia, ministeriorum species diuersis occupationibus exerceri, et nunc istos ad poenam trahi pro meritis, nunc illos ad gloriam sublimari. — Quis vel caecus hoc iudificantium daemone non videat esse nequitiam? En vti semper eadem in his terris fabula ludatur! Ceterum conf. *r. M. RENAZZI Diarr. de ordine i. s. forma iudicior. criminal. (Romae 1777.) cap. 9. et 10.*

h) Grauitur III, DE SINNER, magni vir iudicii, in *Itinere Heluetico, P. I. p. 190.* Ars, quam veteres physognomiam dicebant, non modo hominis faciem, sed formam etiam manuum, totiusque corporis figuram intueri iubet. Quotquot autem facultatem ex signis externis formae frontis, nasi et aurium de mente animoque iudicandi in formam artis redigere tentarunt, illi in omnes incidunt difficultates, quae calendariorum confarcinatores premunt, quippe quos experientia quotidie refellit; et *P. II. p. 154.* Est vir quidam eruditus magnique, sed nimis incitati ingenii, qui artem de indole viribusque mentis et animi ex forma nasi et aurium iudicandi inuenisse sibi videtur. Itane vero de morbis etiam ex humore quodam iudicare nefas erit? Certe neutra harum artium alteri praestat.

que vero eo refellitur hoc, quod monuit Praeses in *Elem. iur. crim.* §. 823. *Nunquam etiam non in reorum examine vultus eorum motusque animi, quales, cum examinarentur, fuerunt, ab actuario diligenter adnotandi sunt.* Aliud enim est, ex facie rei generatim mentem eius ac indolem colligere velle: aliud ex factis quibusdam singularibus in rem praesentem coniecturam ducere. Elegans est, qui apprime huc facit, locus cic. in *Catil.* III. cap. 5. *At mihi quidem cum illa certissima sunt visa argumenta atque indicia sceleris, tabellae, signa, manus, deinde uniuscuiusque confessio, tum multo illa certiora, color, oculi, vultus, taciturnitas. Sic enim obstupuerant, sic terram intuebantur, sic furtim nonnunquam inter se aspiciebant, ut non iam ab aliis indicari, sed indicare se ipsi viderentur.*

Quodsi iam in aliquem criminis cuiusdam cadat suspicio, ante omnia, qualis ille sit vir, quibus moribus, qua consuetudine vitae antea usus sit, probe considerare oportet. *BENE IVVENALIS II. §3.*

Nemo repente fuit turpissimus. —

Quidquid nonnulli dicant atra bile laborantes philosophi, natura nos ad mentem optimam genuit. Nam ut aqua piscibus, ut ficca terrenis, circumfusus nobis spiritus volucris conuenit, ita certe *facilius esse oportet, secundum naturam, quam contra eam vivere.* Etsi igitur aduersus aliquem grassetur rumor, etsi omnes in vrbe anus de faenoris cuiusdam auctore blaterent, non debet tamen iudex statim leuem auditionem pro re comperta habere. *Dicat, nescio quis,*

Nec leuis ex nihilo poterit prorumpere fama,

Sed partem veri fabula semper habet.

Magis certe me mouet, quod aiunt Impp. in *l. 12. §. 1. C. de poen. Vanae populi voces audiendae non sunt.* Sapienter cic. *pro Coelio cap. 3. Accusatio crimen desiderat, rem ut definiat, hominem ut nolet, argumento probet, teste confirmet, nec non IUVENALIS VI. 219.*

— — Meruit quo crimine —

Supplicium? quis testis adest? quis detulit? audi!

Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est.

idemque X. 69.

— — Quo cecidit sub crimine? quisnam

Delator? quibus indicibus? quo teste probavit?

Nec suspicionem auget silentium eius, qui iam forte in vrbe fabula est, modo eiusmodi homo sit, qui virtutem suam iam antea non vulgo, sed intelligentioribus cordatioribusque probarit. Equidem legi quod CYPRIANVS scribit: *Tacere ultra non oportet, ne iam non verecundiae, sed diffidentiae esse incipiat, quod facimus, et dum criminationes falsas contemnimus refutare, videamur crimen agnoscere.* Sed scio etiam esse, qui sua se virtute inuoluentes malevolorum spernant fermunculos, operaeque pretium haud ducant, sese contra eiusmodi naenias defendere.

Tritum prouerbium est: *Qui semel fuit malus, is semper talis esse praesumitur, nec me fugit, quod HORATIUS ait Carm. III. 5.*

— — Neque amissos colores

Lana refert medicata fucō,

Nec vera virtus, cum semel excidit,

Curat reponi deterioribus.

Primum autem id haud raro fallit, vtque saepissime fallat, optabile est; deinde idem summum non nisi in delictis eiusdem generis locum inuenit, ad diuersa autem nequaquam extendendum est. Sunt enim, vt hoc vtat exemplo, nonnulli, quibus scortari et adulterari ludus iocusque sit, et qui tamen furari aut rapere summum nefas ducant, priusque decem adulteria, quam vnum committerent furtum. Quare egregie falluntur, qui ita argumentantur: Cum Seius iam antea stupri aut adulterii reus factus sit, ideo vero simile est, eundem etiam furtum, de quo quaeritur, admisisse. Nae falsissima est ista argumentandi ratio et in causarum capitalium disceptatione neutiquam toleranda.

Nec vitae a reo adhuc actae conditionem negligendam esse, illi facile persuadebitur, qui, aliam vitam plerumque alios etiam mores gignere, secum reputat. Praeclare CIC. *pro Rosc. Amer.*
cap.

cap. 27. In rusticis moribus, in victu arido, in horrida illa incultaque vita istiusmodi maleficia gigni non solent. Vt non omnem frugem, neque arborem in omni agro reperiri possis, sic non omne facinus in omni vita nascitur. In urbe luxuries creatur, ex luxuria existat avaritia necesse est, ex avaritia erumpat audacia, inde omnia scelera ac maleficia gignuntur. Vita autem rustica parsimoniae, diligentiae, iustitiae magistra est.

Haud minus, quid reus proximo post delictum, cuius accusatur, tempore fecerit, inspiciendum est. Elegans exemplum habet CIC. I. c. cap. 23. Scilicet Cloelius quidam, cum coenatus cubitum in idem conclave cum duobus adolescentibus filiis isset, inuentus est mane iugulatus, cum neque servus quisquam reperiretur, neque liber, ad quem ea suspicio pertineret, id aetatis autem duo filii propter cubantes ne sensitse quidem se dicerent. Quare horum nomina de parricidio delata sunt. Quid postea? Erat sane suspiciosum, neutrum sensitse, ausum autem esse quemquam, se in id conclave committere, eo potissimum tempore, cum ibidem essent duo adolescentes filii, qui et sentire et defendere facile possent. Erat porro nemo, in quem ea suspicio conveniret. Et nihilominus tamen, cum planum iudicibus esset factum, aperto ostio dormientes eos repertos esse, iudicio absoluti adolescentes et suspicione omni liberati sunt. Nemo enim putabat, quemquam esse, qui, cum omnia divina atque humana iura scelere nefario polluisset, somnum statim capere potuisset; propterea quod, qui tantum facinus commiserint, non modo sine cura quiescere, sed ne spirare quidem sine metu possent i).

Inter

- i) Idem refert VALER. MAX. VIII. 1. 13. Cum parricidii causam duo fratres Cloeli dicerent, splendido Tarracinae loco nati, quorum pater T. Cloelius in cubiculo quiescens, filiis altero lecto cubantibus, erat interemptus, neque aut servus quisquam, aut liber inueniretur, ad quem suspicio caedis pervineret, hoc uno nomine absoluti sunt, quia iudicibus planum factum est, illos aperto ostio inuentos esse dormientes. Somnus, innoxiae securitatis certissimus index, miseris opem tulit. Iudicatum est enim

Inter scelerum indicia vulgo etiam refertur fuga illius, qui suspitione premitur. Quicumque autem secum perpenderit, quam graue sit ac periculofum, causam ex vinculis dicere, nae ille facile excusabit eum, qui fuga sibi consulere, quam squalores carceris perferre, vitamque in vinculis ducere maluerit, maxime si mox litteras petat commeatus, quas vulgo saluum conductum vocant. Bene ANT. MATTHAEVS de crim. 48. 16. 3. *Fuerunt, qui fugam rei ad tormenta sufficere putarent, inprimis si reus ante inquisitionem fugisset. Verum cui id persuaserint? aut quis ignorat, fugere etiam innocentes? memores nimirum responsi ab Alcibiade quondam dati, qui dicebat, stultum esse, si accusatus, cum fugere possit, quaerat absolui et liberari. Memores etiam plerique sunt illius Plauini: Nescis tu, quam meticolosa res sit, ire ad iudicem? Postremo non minus saepe in mentem eis venit potestatis, quam aequitatis iudicis, propterea quod omnes, quorum in alterius manu vita posita est, saepius illud cogitant, quid possit is, cuius in ditione ac potestate sunt, quam quid debeat facere.*

Ad haec, cum nemo facile sine spe atque emolumento ad maleficium accedere conetur, inprimis, vtrum reus spem lucri, quod ex delicto ad eum peruenire poterat, aut aliud ad scelus incitamentum habuerit, an minus, inuestigandum est; propterea quod, si nihil tale apparet, suspicio quodammodo minuitur; qua in re praeclaro nobis exemplo iam praeiuit L. CASSIVS, quem populus olim Rom. verissimum et sapientissimum iudicem putabat, quique in causis capitalibus identidem quaerere solebat, *cui bono fuisset k*), vt Cicero tribus diuersis locis (*pro Rosc. Amer. cap. 30. pro Milon. cap. 12. et in Philipp. II. c. 14.*) memoriae prodidit. Idem etiam refert ASC. PAEDIANVS in *Milonian.* his verbis: *L. Cassius, summae vir seueritatis, quoties quatsitor iudicis*
ali-

enim, verum naturam non recipere, vt occiso patre supra vulnera et cruorem eius quietem capere potuerint.

k) i. e. cui vtile fuisset maleficium, vt recte hoc interpretatur IAC. FACCIOLATVS in *Exerc. in Cic. Or. p. 125.*

alicuius esset, in quo quaereretur de homine occiso, suadebat atque etiam praecipit iudicibus, ut quaereretur, cui bono fuisset, perire eum, de cuius morte quaereretur. En quanta veteres religione in discipulandis causis capitalibus versati sint, et quam nihil, quod vel aliquatenus ad rem pertinere videbatur, praetermiserint. Scilicet idem plerique sentiebant, quod *SENECA de Clem. I. 1. Conditum, immo confectum apud me ferrum est. Summa parsimonia etiam vilissimi sanguinis. Nemo non, cui alia desint, hominis nomine apud me gratus est; severitatem abditam, clementiam in promptu habeo.*

Sed nec haec negligenda est regula: Si eiusdem rei praeter accusatum alia etiam adferri potest causa, nequaquam pro certo ponendum est, eam accusato acceptam ferendam esse, nisi de hoc aut ex ipsius confessione, aut aliunde constet. Finge igitur, inter res meas inueniri rem alicui subreptam; inde sane nondum sequitur, ut furto contaminatus sis; propterea quod fieri potuit, ut ego hanc rem aut in via inuenirem, aut ab alio emerem, aut aliquis mihi eam offerret, quo (vt in *§. 4. I. de obl. quae ex delict. nasc. legitur.*) apud me potius, quam apud ipsum inueniretur; atque hoc non cogitarunt iudices causae supra primo loco a nobis memoratae.

Inter ea iuris criminalis capita, quae emendatione adhuc indigent, haud iniuria refertur quoque hoc, quod etiamnum passim admittuntur delationes, quarum auctores celant nomen suum, et homines saepe innocentissimos quasi ex insidiis adoriuntur, quo ipso haud raro his adeo facultas se defendendi praeciditur. Hoc sane nec bonae fidei, nec publicae securitati, nec legibus, quae accusatorem notum esse volunt, conuenit. Egregie *D. PAVLVS in Act. Apost. XXV. 16. Non est Romanis mos, hominem ullum ad necem condemnare, priusquam praesentes habuerit accusatores, et locum sui contra criminationem defendendi obtinuerit.* Si quid reprehensione dignum admisi, quod tu vindicandum putas, cur te celas? cur non aperto Marte contra me pugnas, sed quasi cuniculis vteris? Sin innocens sum. maxima omnino malitia est, dicam ab ignoto mihi impingi aduersario, cuius laqueos occulte positos euitare non possum. Nae, si Lex Remmia adhuc vigeret, eiusmodi delatores prae ceteris digni essent, quorum capi-

pitibus littera illa, calumniatorum nota, adfigeretur. Nunc autem, ut oculis illis delatoribus omnis abrogetur fides, et libertatis et securitatis causa optabile est. Legi omnino hic meretur etc. *Or. pro Rosc. Amer. cap. 30.* ubi odiosa illa delatorum ratio viuis depingitur coloribus, graphiceque et acriter perstringitur.

Tempus chartaque me deficerent, si iam per singula ire, omniumque indicia criminum percurrere vellem. De solius adulterii indicibus tot tamque diuersa passim leguntur, ut iis in ordinem redigendis dies haud sufficeret. 1) Generatim autem tenendum est, quod iam QUINTILIANVS *Inst. Or. VIII. in prooem.* monuit: *Optima sunt minime arcessita, et simplicibus atque ab ipsa veritate profectis similia.* Certe nemo (etsi, ut Pontifex ait in *c. 1. de Const. in 6.* omnia iura in serinio pectoris habeat) de indicibus criminum et suspicionibus aequo iudicabit Ioue, nisi dialecticorum de probabilitate regulas in auxilium vocauerit, qua in re mihi quidem CICERO, (quo auctorem CCC. etiam usum esse, nuper monuit Cel. I. F. MALBLANK in *d. Gesch. d. P. G. O. p. 129 sq.*) QUINTILIANVS, IO. SARESBERIENSIS *Metalogicus*, et AMAD. DE LA RIVE *Logica* suppetias tulerunt.

Neque vero sufficit, initio causae indicii cuiusdam magnum fuisse momentum, sed, si adhuc vim aliquam habere debet, opus est, ut nec postea aut probatione contraria infirmatum fuerit, aut alia ratione rursus euauerit, quod iam monuit CAROLVS V. in *CC. art. 37. et 41.* Fac igitur e. g. accusatum eiusue defensorum docere, illum eo tempore, quo delictum est perpetratum, ab

1) Vid. IAC. MENOCHIVS *de praesume. coniectur. sign. et indicibus*, Colou. Agripp. 1615. *Lib. V. n. 41.* C. G. WOLFII *Select. Opusc. iur. crim. Lips. 1731. p. 148.* I. G. SCOPF. *de iure diuortiorum*, p. 37. I. G. HEINECCIUS *Consil. et Resp. p. 458.* HOMMEL. *Rhaps. Obs. 487.* De indicibus infanticidii vid. W. HUNTER (medicus Anglus) *Ueber die Ungewissheit der Kennzeichen bey der Ermordung unehelicher Kinder*, in *d. Leipz. Mag. für R. G. P. I. p. 540.*

ab eo loco, ubi idem admissum esse constat, a fuisse, certe non possunt non omnia indicia, reo fortasse aduersa, prorsus euanescere, quod Galli dicunt *la preuve de l'alibi*, cuius neglectus multorum hominum innocentium mortis causa fuit. Vid. DE LA CROIX l. c. p. 404.

Praecipue etiam in aestimanda testium fide multis cautionibus opus est, ne hominum vitam aut leuitati aut improbitati aliorum exponamus. Paucissimis verbis multa complexus est Cic. pro Quinct. cap. 18. et 28. scribens, eos optimos testes esse, quibus causa iustissima sit, cur scire possint, nulla, cur mentiantur. Sunt sane nonnulli tam leues, ut haud raro aliquid affirmant, quod ipsi parum sciunt, posteaque, etsi vltro dubitare incipiunt, tamen fateri errorem suum erubescant. Alii praepudicatis tantopere tenentur opinionibus, ut si quid semel animo conceperint, persuasioni suae, etsi falsissimae, pertinaciter inhaereant, nullaque ratione inde detorqueri possint, ut nihil iam de illis dicam, quorum proprium commodum in re, super qua testimonium dicere volunt, versatur, quique adeo, utpote testes in propria causa, plane repellendi sunt *m*). Horret animus, quando memini exemplorum passim obuiorum, quibus constat, homines vel innocentissimos testimoniis aut pretio-entis, aut ex odio profectis, aut ex praepudicatis opinionibus ortum ducentibus, capitis damnatos esse *n*). Nullam fidem mereri, qui inuocatus ad testimonium dicendum vltro accesserit, aut noctu delictum aliquod fieri vidisse dixerit, nullamque testimonii sui rationem adiecerit, iam docuit IAN. LANGLAEVS *Semestr. Lib. III. et IV.* Haud minus a testimonio eorum abstinendum est, qui rem, de qua quaeritur

C 2

ritur

m) Haud magis audiendus est testis *incertus*, i. e. talis, de cuius fide dubitatur. Cic. pro Rosc. Amer. cap. 22. et IAC. FACCIOLATVS in Exerc. in Cic. Or. p. 112.

n) Vid. *Derniers sentimens des plus illustres personages condamns à mort*, Tom. I. p. 439. itemque Tom. II. p. 167. et 242. nec non DE LA CROIX l. c. pag. 22.

ritur, non ipsi per se cognouerunt, sed rûmore tantum aut fama acceperunt o), recte monente PLAVTO in *Truc. II.* 6. 8. pluris esse oculatum testem vnum, quam auritos decem.

Quemadmodum porro absque certitudine delicti ad reum condemnandum ipsius haud sufficit confessio, ita nec solis testibus fides habenda est, quando de veritate delicti haud constat. Sapienter CICERO pro *Pontio* cap. 6. et 7. *Si ingeniosi et periti et aequi iudicis has partes esse existimatis, ut, quoniam quidem testes dicunt, sine ulla dubitatione credendum sit, salus ipsa virorum fortium innocentiam tueri non potest. — Si hoc iudici praescriptum lege aut officio putatis, testibus credere, nihil est, cur alius alio iudice melior aut sapientior existimetur. Vnum est enim et simplex aurium iudicium, et promiscue et communiter stultis ac sapientibus ab natura datum. Quid est igitur, ubi elucere possit prudentia? ubi discerni stultus auditor et credulus ab religioso et sapienti iudice? nimirum illud, in quo ea, quae dicuntur a testibus, coniectura et cogitatione traduntur, quanta auctoritate, quanta animi aequitate, quanto pudore, quanta fide, quanta religione, quanto studio existimationis bonae, quanta cura, quanto timore dicantur. — Fuit illis iudicibus diuinum ac singulare consilium, qui se non solum de reo, sed etiam de accusatore, de teste iudicare arbitrabantur, quid fictum, quid a fortuna ac tempore allatum, quid pretio corruptum, quid spe aut metu deprauatum, quid a cupiditate aliqua, aut inimicitii profectum videretur. Quae si iudex non amplectetur omnia consilio, non animo ac mente circumspiciet, si, ut quidque ex illo loco dicitur, ex oraculo aliquo dici arbitrabitur, profectio satis erit, non surdum iudicem huic muneri atque officio praesse. Haud minus religiosi ea in re fuerunt maiores*

- o) Itemque a testimoniis scriptis, (caeca vulgo vocant) quo pertinet rescriptum Imp. HADRIANI in l. 3. §. 3. *D. de test.* Quod crimina obiecerit apud me Alexander Apro, et quia non probabar, nec testes producebar, sed testimoniis uti volebar, quibus apud me locus non est, (nam ipsos interrogare soleo), quem remisi ad provinciae praesidem, ut is de fide testium quaereret.

iores nostri, adeo vt passim aequalitatem conditionis testium
reique desiderarent, et in causis ad mares pertinentibus femi-
narum testimonium haud reciperent p). Anglicis legibus (prop-
ter veteres Anglos inter et Scotos similitates) cautum esse fer-
tur, ne Scoti in Anglos testes audiantur q); parique ratione ple-
rique testimonium Iudaei contra Christianum in causa capitali
haud admittendum censent r). Quid? quod nec desunt, qui
ne testimonium quidem duorum testium, etsi haud suspectorum,
ad reum capitis damnandum sufficere existiment rr).

Sed instas et ais, si tam solliciti, aut, si mauiis, scrupulosi
esse velimus, multos facinorosos poenae promeritae facile se
subducere posse, adeoque impunes fore. Ego vero hoc nihil
moueor, quippe qui memoria teneo, quod in l. 5. D. de poen.
legitur: *Sed nec de suspicionibus debere aliquem damnari, D. Trai-
anus rescripsit; satius enim esse, impunitum relinqui facinus nocentis,
quam innocentem damnare.* Quo magis mihi nuper steterunt co-
mae, cum alicubi s) legerem: *Melius est, aliquot innocentes puni-
ri, quam nocentem unum poenam effugere,* quod profecto nec sanae
rationi, nec legibus conuenit, quae in rebus dubiis atque am-
biguis humaniorem sequi sententiam iubent. l. 10. §. 1. D. de reb.
dub. l. 192. §. 1. D. d. R. I. Nae, si quis existimat, in omnes
criminum suspectos, etsi neque confessos neque conuictos, ani-

C 3

maduer-

p) Vid. C. F. WALCH *de testis reo paris praestantia in Iure Germ.
Ienae 1756.*

q) Vid. PAVL. RISI *Animadu. ad iurispr. criminal. pertinenz. p. 31.*

r) Conf. HOMMEL. *Rbapf. Obsf. 211. l. v. Iudaeus, et P. I. HEISLER.
Beantwortung der Frage: Ob die Zulassung eines Iudaeides wider ein-
nen Christen bedenklich sey? Halle 1778. De delatore teste exposuit
O. L. DE EICHMANN ib. 1782.*

rr) Vid. *Plan de legislation sur les matieres criminelles, pag. 27. sq. et
DE LA CROIX l. c. cap. 6.*

s) In I. H. MYLI *Opusc. Academ. (L. B. 1738.) p. 166. coroll. 24. quod
tamen ille fortasse magis exercitationis causa, quam ex animi senten-
tia adscripsit.*

maduertendum esse ¹⁾, is vehementer errat, verbisque illis ^{1) V. E.}
 NALIS:

— O medici mediam pertundite venam!

locum facit. Cur quaeso ipso Summo Numine seuiores esse volumus, quod si quoties peccant homines, punire vellet, fulmina nunquam ponere necesse haberet? Quidni igitur, quoties de auctore delicti haud satis constat, sed res in obscuro est, ampliamus, vetusque illud *non liquet* vsurpamus? De Areopagitis memoriae proditum est, eos in causa aliqua dubia atque ambigua et accusatorem et mulierem, quae accusabatur, centesimo anno rursus adesse iussisse ^{v)}. (GELLIVS XII. 7.) In Anglia etiamnum ad reum capitis damnandum haud sufficiunt vota maiora, sed vnanimis opus est, ^{x)}, quod certe ratione non caret, idemque olim in Germania quoque passim obtinuisse, antiqua litterarum monumenta testantur. Sane omnibus, qui de hominum vita aut fortunis iudicant, infixum esse debet vetus illud:

*Conueniens homini est, hominem seruare, voluptas,
 Et melius nulla quaeritur arte fauor.*

Ceterum haec non modo illis, ad quos rerum capitalium disceptatio

2) Hoc certe fieri nequit, nisi in causis leuissimis paruique momenti, vt iam monuit Praefes in *Elem. iur. crim.* §. 879. eoque, ni fallimur, etiam pertinet I. A. REICHARDTI *diff. Delinquentem neque confessum, neque conuictum condemnari posse*, Ienae 1769. quae tamen ad manus nostras haud peruenit.

3) Quod iniuria reprehendit IO. SCHEDIVS in *diff. de Areopago* (in *Append. Thes. nou. diff. iurid.* p. 138.) Nihil enim aliud indicare his verbis voluerunt Areopagitae, quam ea in re sibi haud liquere, adcoque a sententia ferenda abstinendum esse.

4) Vid. *Neue Bemerkungen über England*, av. d. Franz. des Abbé COYER p. 51.

tatio pertinet, sed etiam iis scripta sunt, qui nimis libere viuent, quidquid faciunt, rectum putant, suisque actionibus inconfultis et inconsideratis facillime in maximas incidere suspiciones, nihilque tale opinati summum adire periculum possunt. Si verum est, quod PLAVTVS ait *Trinum. I. 2. 41.*

— — *Omnes bonos bonasque accurare addcet,
Suspicionem et culpam v̄ ab se segregent,*

quotidie cum AVSONIO in *Ephem.* precari oportet:

— — *Nec vero crimine laedar,
Nec maculer dubio; paulum distare videtur
Suspectus vereque reus. — —*

Diuortio etiam ob suspiciones adulterii, graues scilicet, locum esse, patet ex *l. 30. C. ad L. Iul. de adult.* vbi ita CONSTANTINVS M. *Inprimis maritum genialis tori vindicem esse oportet, cui quidem et ex suspicione ream coniugem facere licet, ipsumque CAESAREM vxorem suam solas ob suspiciones repudiasse, SVETONIVS narrat in Caes. c. 74. In P. Clodium, Pompeiae, vxoris suae, adulterum, atque eadem de causa pollutarum ceremoniarum reum, testis citatus negavit, se quidquam comperisse, quamvis et mater Aurelia et soror Iulia apud eosdem iudices omnia ex fide retulissent; interrogatusque, cur igitur repudiasset vxorem, quoniam, inquit, meos tam suspicione, quam crimine iudicio carere oportere. Quam facile autem hic quoque fallere suspiciones possint, triste illud docet exemplum, quod refert PHAEDRVS III. 11, ita tandem finiens:*

*Nil spernat auris, nec tamen credat statim,
Quandoquidem et illi peccant, quos minime putat,
Et qui non peccant, impugnantur fraudibus.
Hoc admonere simplices etiam potest,
Opinione alterius ne quid ponderent,
Ambitio namque dissidens mortalium,
Aut gratiae subscribit, aut odio suo.*

Super:

Supereſt, ſententiam illam Iudicii Camerae Imp. cuius ſupra mentionem fecimus, d. 28. Nouembr. 1783. publicatam, praefantiffimum ſane publicae in Germania iſtitutiae (in cauſa adeo ad pauperes pertinente) exemplar, adiuciamus. Ita autem habet :

In Sachen R. L. und deſſen Ehefrau A. M. neſt Kindern, armer Parthei, Klägern eines, wider K. Graſen v — Beklagten andern Theils, compulſorialium ad gratis edendum acta integra et protocolla, nec non citationis ad videndum caſſari nullitates inſanabiles, et reſtitui impetrantes in priſtinam poſſeſſionem omnium facultatum nulliter ablatarum, cum reſuſione damnorum et expenſarum, vna cum ſaluo conductu, Iſt allem An- und Vorbringen nach zu Recht erkant; daſſ der von dem Graſen v — im Gericht zu — wider die Kläger geſührte Inquiſitionsproceſſ neſt der darauf erfolgten Urtheil als widerrechtlich, null und nichtig zu caſſiren und aufzuheben, auch die vollzogene ſchimpfliche Ausſtellung und Ortsverweiſung Klärgern an ihrer Ehre als unſchädlich und unnachtheilig zu erklären; ſofort Beklagter die Kläger in alle abgenommene Güter und Mobilien, wie ſie ſolche vor angeſtellten Inquiſitionsproceſſ beſeſſen, ſamt den Nutzungen, iedoch ſo, daſſ von dem Immo- biliarvermögen bis zum Ausgang der Sache nichts veräuſſert werden ſolle, in voller Maas zu reſtituiren und einzusetzen ſchuldig, zu erkennen und dazu zu condemniren ſei; als wir hiemit caſſiren, aufheben, unnachtheilig erklären, reſtituiren, einſetzen, zurückzugeben befehlen, ſchuldig erkennen, condemniren und verdammen, Beklagten auch den Klägern die in dieſer und voriger Inſtanz aufgelaufene ſämtliche Koſten und Schäden nach rechtlicher Ermäßigung zu entrichten und zu bezahlen fällig ertheilend. Dann iſt dem Beklagten zu würrcklicher Execution und Vollſtreckung dieſer Urtheil Zeit 2. Dp. T. et P. V. A. w. angeſetzt, mit dem Anhang, wo Er ſolchem alſo nicht nachkommen wird, daſſ Er jetzt, als dann, und dann als jetzt in die
Straf

Straf 10. M. L. Golds, halb dem K. Fisco, und zum andern halben Theil ihnen, Klägern, unnachlässig zu bezahlen fällig erklärt seyn, auch der Realexecution halber ferner ergehen solle, was Recht ist. Uebrigens ist zu gebührender rechtlicher Verführung der Inquisition dem Beklagten, daß Er ein unparteiisches verpflichtetes peinliches Gericht in dieser Sache von neuem niederzusetzen, durch dasselbe das Factum mit allen Umständen nach Vorschrift der peinlichen Halsgerichtsordnung genau untersuchen, die Kläger auf allenfalliges Verlangen mit ihrer Defension genugsam hören, in einem jeden Falle, welcher dem klagenden Theile ein Präjudiz zufügen kann, nicht allein, sondern auch am Ende der Inquisition die neuere und ältere acta integraliter an eine Juristenfacultät, wogegen Klägere nichts einzuwenden, und welche bey Erkennung der Strafe auf die bereits überstandene Torturen und erlittene bisherige Strafen Rücksicht zu nehmen haben wird, verschicken solle, hiemit aufgegeben. Endlich werden beklagtem Grafen v — die in diesem Inquisitionsproceß vielfältig begangene Nullitäten alles Ernstes ver- und derselbe in Zukunft sein in dem Amte-habendes peinliches Gericht mit Personen, so in peinlichen Sachen besser und genugsam erfahren, zu besetzen, und die Kaiserl. P. H. G. O. gebührend zu beobachten, bei sonst zu befürchten habender schärferer Ahndung, auch allenfallsiger Excutirung des Kaiserl. Fiscals, hiermit angewiesen.

COROLLARIA.

I.

Quemadmodum generatim amplissimus iuris criminalis est ambitus, ita eiusdem interpretem, aequae ac iudicem criminalem, praecipue etiam psychologiae peritum esse oportet, propterea quod animus humanus altos recessus et magnas latebras habet, nemoque facile aut veritatem e facinorosis eruet, aut aegris eorum animis medicinam adferet, nisi qui indolem ipsorum, quantum fieri potest, perspexerit. Vid. ANDREAS ZAVPERS Gedanken über einige Punkte des Kriminalrechts, p. 35. sq.

II.

Inter superstitiosa veritatis eruendae media pertinet etiam iudicium panis et casei (*Anglis morsel of execration*), de quo exposuit LIEBERKÜHN in *diff. de offa iudiciali Anglo-Saxonica*, Cornsued, Halae 1771. itemque W. BLACKSTONE in *den vermischbt. Abhandl. p. 148.* Sunt, qui simile quid iam ap. Rom. in usu fuisse existiment, usque ad stipulari videretur ACRON ad HORAT. Ep. I. 10. 10. Cum in feruis suspicio furti haberetur, ducunt ad sacerdotem, qui crustum panis carmine infectum dat singulis, quod cum adhaeserit ori, manifestum furti reum asserit. Vid. FRANC. DE ROYE de missis dominicis cap. 14. p. 154. Alii autem haec verba non ipsius esse ACRONIS, sed eius interpolatoribus debere statuunt. Conf. IAC. CRV-
QVIVS

quivs ad HORAT. Ep. I. 10. 10. pag. 548. edit. quae
L. B. 1597. prod.

III.

Apud Hebraeos in usu olim fuit examen suspectae adulterii
vxoꝝ per aquam amaram, in sacris litteris (Nu-
mer. cap. 5.) obuium, de quo vberius exposuit IO. SEL-
DENVS in Vxor. Ebraica Lib. III. c. 14. sq. Bonum
autem factum, quod idem bodie non amplius usu serua-
tur. Nae multarum dulcia furti, quae nunc atra nocte
premuntur, facilius innotescerent.

IV.

Quemadmodum saepius etiam innocentes in suspicionem cri-
minum incidunt, ita contraria ex parte multi, etsi pes-
simi, innocentiam simulant, paruisque malefactis ab-
stinent, ut tutius magna admittere possint scelera; quod
iam obseruauit LIVIUS XXVIII. 42. Fraus, inquiens,
fidem in paruis sibi praefruit, ut, cum operae
pretium sit, cum mercede magna fallat. En! quam
difficile sit, bonos a malis, virtutem a simulacris vir-
tutis recte distinguere.

V.

Iam alii monuerunt, inaequalia delicta haud eadem poena
coercenda esse, propterea quod sic homines facinorosi
maius periculum haud subeunt, quando magnum admit-
tunt scelus, quam cum leuiter tantum delinunt. Car
non, inquit HORATIUS Sat. I. 3.

Ponderibus modulisque suis ratio utitur, ac res
 Ut quaeque est, ita supplicii delicta coerct?

Damnum, quod inde in remp. redundat, quilibet per se facile potest animadvertere. Quodsi rapina (cum caede haud coniuncta) et latrocinium eadem coercentur poena, nae frequentiora erunt latrocinia, quam rapinae. Bene BLACKSTONE l. c. p. 121. In Frankreich steht auf dem Raub, er mag mit oder ohne Mord vorgehen, einerlei Strafe, und darum sind, wenn auch vielleicht weniger Räubereyen geschehen, doch alle Räuber daselbst auch zugleich Mörder. In China werden die Mörder geviertheilt, Räuber aber nicht. Dieses macht, daß niemand auf der Heerstrasse umgebracht wird, obgleich oft Leute geplündert werden. In England fallen für den Räuber nicht nur die Nebenschrecknisse einer schnellen Execution und nachherigen Ueberlieferung des Cadavers an das anatomische Theater weg, sondern er hat auch noch außerdem Hoffnung, mit der Versendung nach den Colonien durchzukommen, welche Gnade sich selten auf Mörder erstreckt. Dieses hat bei uns einerlei Wirkung, als in China. Es verhindert, daß Meuchelmorde und Todschläge oft geschehen. Idem monuit Abbas COYER in den Neuen Bemerkungen über England p. 51. Plura exempla quilibet, harum rerum intelligens, sua sponte facile reperiet.

VI.

Sapienter PAPINIANVS in l. 41. D. de poen. poenam aestimationem delicti dicit, Nec verisimile, inquit, est, delictum vnum eadem lege variis aestimationibus
i. e.

(i. e. poenis) coerceri. *Conf. RENAZZI Elem. iur. crim. Lib. II, c. 4, §. 7. itemque HIER. SPANZOTTI iur. civ. lib. sing. Venetiis 1770. p. 414.* In hoc igitur totius rei cardo vertitur, ut cuilibet delicto iustum pretium, i. e. poenam, nec nimis duram, nec iusto leuiorem, statuamus. Hoc est opus illud difficile, quod mulri quidem tentarunt, nullus autem adhuc perfecit. Hic Rhodus!

XII.
Oportandum igitur esset, ut quis in medium proferat iustum delictorum aequè ac poenarum modulum, et quasi scalam, (eine Stufenleiter der Verbrechen und Strafen,) quod fieri iam voluit BLACKSTONE l. c. p. 121. et nuper reapse tentavit DE LA CROIX l. c. p. 424. Sed tentavit tantum, et nobis, qui dudum idem saxum volumus, facultatem perficiendi reliquit.

XIII.
Cel. F. C. I. FISCHER in doctissimo libello, qui sub tit. Sitten und Gebräuche der Europäer im V. und VI. lahrhundert, anno 1784. Franc. ad V. prodit, pag. 74. scribit:

v. 1014. (carminis epici de prima expeditione Attilae in Gall.) kömte die Framea vor, die man aufser dem Tacitus sonst bei keinem alten Schriftsteller genennt findet,

idemque p. 209. τὸ framea pro verbo celtico habet, et per Lanze exponit. Idem vero verbum occurrit etiam in l. 3. §. 2. D. de vi et vi arm. ubi ita VLPPIANVS: Arma sunt omnia tela, hoc est, et fustes et lapides, non

D 3

solum

solum gladii, hastae, frameae, i. e. romphaeae.
De romphaea diximus in diss. de moderat. inculp. ta-
tel. ad Or. Cic. Milonian. p. 15. Conf. etiam 10.
 MEYRSII Glossar. graec. barb. L. B. 1614. p. 476.

IX.

Fontes omnium criminum esse tres, haud male monet LA-
 CTANTIUS Inst. diu. VI. 19. Tres, *inquiens*, sunt affe-
 ctus, qui homines in omnia facinora praecipites
 agunt; ira, cupiditas, libido. Ira ultionem desi-
 derat, cupiditas opes, libido voluptates.

X.

Fallit sane saepissime, quod SENECA in Herc. Oct. v. 705.
 ait:

Vultus loquitur, quocumque tegit.

Conf. MÜLLERI diss. Vtrum ex facie hominis de animi
inclinacione iudicium facere liceat? Vit. 1676.

104







Leipzig, Diss., 1785 P-Z
X 241 7854







1785, 25.
7

DISSERTATIO
IVRIS CRIMINALIS
DE
LVBRICO INDICIORVM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

AVCTORITATE
P R A E S I D E
IOS. LVD. ERN. PÜTTMANN

I. V. D. INST. PROF. ORD. ET COLLEG. ICTOR. ASSESSORE
VT ADITVM

P 429

AD
SVM MOS VTRIVSQUE IVRIS HONORES
SIBI APERIRET

A. D. XXXI. MARTII MDCCLXXXV
H. L. Q. C.

AD DISCEPTANDVM PROPOSITA
A

CHRISTIANO GOTTLOB STARCKE

ADV. SAX. IMMATR

LIPSIAE
EX OFFICINA SOMMERI

